

rium, cur magis sit capax ad motus necessarios in mutandis moribus?

At Afiani debent per auctorem amare hunc statum suum tanquam felicitatem.

Igitur Afiani debent amare incapacitatem ad deponenda principia mala. Et hoc est præjudicia hominum omnium sanare?

PARS SECUNDA.

De Natura Præjudicii.

Sectio I. Quid intelligatur per RATIONEM?

48. **N**ecessario hoc declarandum ante cetera est. Quia præjudicium esse videtur defectus rationis, & rationis aliqua certa perfectio medetur præjudicii. Igitur nisi decernatur quid per rationem intelligi debeat, nunquam certam de præjudiciis sententiam tuleris.

49. Ratio variis modis potest accipi. *Primo* Ratio sumitur pro facultate cognoscendi simpliciter. Ita rationales sunt etiam angeli quia sunt capaces cognitionum faciendarum. Rideant me, licet, Politici & Spiritus fortes, cum angelos nomino. Nam

ipforum ratio non est tam fortis & capax, ut concipere angelos, hoc est *Spiritus separatos a corporibus* possit. Nihil eorum fortis ratio concipit, nisi spiritum cum materia, aut qui totus materia sit.

50. *Secundo* per rationem intelligitur facultas per cognitionem inferendi unum ex alio, seu *facultas discursiva*. Et hoc sensu magnæ versantur contentiones, num animantes ceteræ habeant rationem? Quamvis multi de his rebus sæpe decernant liberrime, qui earum notitia imbuti sunt minime: quæ est una ex ceteris infelicitatibus humanis.

51. *Tertio* ratio sumitur pro facultate *abstrahendi*, sive ex ideis & notionibus singularium rerum eliciendi notiones universales. Has autem nugas dicunt plerique politici & fortes spiritus; quia plerumque eorum spiritus non est ita liber, ut materiam abstrahat conceptibus singularium, cum plerumque totus sit in materia conscriptus.

52. De tribus his rationis significationibus non est sermo, ubi de judiciis agimus. Nemini enim dubium esse potest, tam ei, qui præjudiciis caret, quam qui iis est occupatus, debere adesse *facultatem cognoscendi, discurrendi, abstrahendi*. Nam qui his caret, non

non præjudiciis laborat, sed pecus est: & forte minus quam pecus; quia non improbabile est, pecudibus etiam adesse aliquem gradum prædictarum facultatum. Neque tamen existimo ex illis doctis, qui talia in pecudibus agnoscunt, quemquam facile fore, qui dicat, pecudes præjudiciis laborare.

53. *Quarto* per Rationem intelligitur facultas agendi propter finem. Quæ cum homini manifesto insit, de ceteris animantibus rursus disceptant multi doctores. Videtur ea facultas consistere in tribus præcedentibus facultatibus, aut ex iis resultare, easque præsupponere: vix enim propter finem agere poteris, nisi eum concipias, de eo discurras, eum ab aliis abstrahas.

54. Ne de hoc quidem rationis significato in hoc de præjudiciis argumento sermo est, ut verbo absolvam, de *nulla facultate* ad cognitionem pertinente; quia *facultas* talis deficiens non *præjudicium* dici potest, sed amentia, infantia, stupor, aut etiam bellinum aliquid.

55. Per rationem *Quinto* potest intelligi Electio mediorum ad obtinendum finem; sive electio unius medii præ alio. Sed rursus neque hæc electio videtur esse præjudicium illud, quod

multi damnant & ponendum suadent. Nam tale præjudicium utique debet esse malum, quia deponendum? atqui Electio mediorum est necessaria, & qui hanc nobis auferrent, auferrent non præjudicium, sed humanitatem.

56. Per rationem *Sexto* intelligitur *Medium ad verum apprehendendum*. Et in hoc sensu accepta ratio pertinet ad hoc nostrum negotium, seu ad hanc de *præjudicio* disquisitionem.

57. Cum igitur Ratio in hac acceptione sit *Medium ad verum* agnoscendum, sequitur, duo à nobis quæri hic debere: nimirum quid sit verum & agnitio veri? Deinde quid, qualeve sit medium patefaciens nobis veritatem, seu ad illam nos ducens?

58. *Verum* igitur alias sumitur *objective* seu transcendentaliter, in quo sensu non distinguitur ab ipsis rebus. Sic Sol, luna, terra, elementa, animantia, vera sunt.

Alio modo verum sumitur *formaliter* seu respective: & est conformitas intellectus cum objecto cognito. Sic si concipio hominem talem, qualis est; si eum judico, qualis est, bonum, malum &c.: Si de eo conclusionem facio talem, qualis ex eo derivari potest; meus conceptus, meum judicium, meus discursus tunc verus est. Omnes enim

homines ita existimant, cumque mihi volunt dicere: *Tu verum sentis*; dicunt: *Ita res habet, ut tu sentis*: sive: *Tu sentis conformiter rei*. Cum vero mihi volunt dicere: *Falsa est sententia tua*: dicunt: *aliter res habet*, ac tua sententia: tua sententia non est conformis rei.

59. Jam autem ardua oritur quaestio, quænam sint *media*, quæ *instrumenta*, qui *modi* quæve *via*, quibus efficere possimus, ut cognitiones nostræ, hoc est, nostræ conceptiones, judicia & illationes sint rebus ipsis conformes?

60. Hic vero facile nos expedire volunt isti, qui clamant: *ante omnia opus est præjudicia deponere*. Demus hoc: quid tum? Tum, inquit, Ratio consulenda est. Demus & hoc: quid autem est Ratio? Hic hæret aqua. Plerique rationem volunt esse id, quod ipsi sentiunt; cum tamen de hoc ipso vel maxime lis sit, an hæc ipsorum ratio sit vera? Petunt ergo isti homines principium & in circulum euntes quaestionem indecisam relinquunt.

61. Sed & alio modo in circulum redeunt. Quid est ratio? respondent: est medium cognitiones conformes rebus faciendi. Quænam sunt illa media? respondent: media sunt ratio. Circulus vitiosus manifestus est.

Hi igitur, qui sic loquuntur, aut sentiunt, nunquam nobis erunt duces boni sive ad præjudicia tollenda sive ad verum inveniendum. Cæci sunt & duces cæcorum.

62. Si homines non essemus, hoc est, si spiritus noster cognoscens non esset certo alligatus materiei (quæ alligatio nobis certa est, quamvis alligationis modus incognitus) forte intuermur directe ipsam rerum *quidditatem*, essentiam, substantiam, naturam: & spiritus noster per sese penetraret in ista. At nunc colligatus cum materia penetrare per sese nequit; corpus prohibet. Rem in alio simili expono aliquomodo. Aër per sese ac cito penetrare potest per aliquam membranam. Aër commixtus aquæ per eandem aut vix aut lente penetrat. Solus per se non indigeret mediis aliis, non distensione pororum, non vehiculo quodam: libere commearat.

63. Ex hoc jam fluit nobis alia cognitio. Cognoscimus enim, non quæcunque cognitionum media esse *nobis* media. Potest aliquis mihi proderet aliquod medium, quo uti posset Spiritus ab omni materia sejunctus, Angelus. Hoc equidem est medium cognoscendi, sed *mihi* medium non est.

est. Ego mihi ac pro me qualis sum, medium quæro conformandi cognitionem meam cum objecti indole.

64. Ea difficultas assignandi media cognitionis veræ faciendæ omni tempore mire fatigavit philosophos, præsertim qui à communi sensu & experientia universaliore volebant recedere. In his extitere sectæ quædam Principes. Quarum *prima* de aliis mediis desperans assignavit *ideas innatas*. Dicebant enim, nos nullam rem de novo cognoscere: sed omnium rerum ideas sive repræsentationes animæ nostræ inde à sua origine adesse, atque prorsus inesse. Cumque iis objiceretur, ea ratione infantes etiam cognoscere veritates omnes: negabant, sufficere ideas ita innatas & quasi sepultas: opus esse præterea, ut ab aliis sive diis sive hominibus admoneremur rerum singularum: ex hac admonitione excitari illas ideas & evolvi, velut favillas cinere sepultas flatu excitatas. Hi, quod probe notes velim, *rationi* & ideis *auctoritatem* ut necessariam adjungebant. Quid enim est admonitio illa, quod propositio ideæ alicujus quæ similis sit alteri in infante adhuc latenti. Cujus similitudine sibi exposita interim infans utatur ad judicandum seu intelli-

gendum, donec suas ideas purificet.

65. Alia secta, Academicorum, Scepticorum, Pyrrhonistarum de mediis ejusmodi, quibus ad verum deduceretur cognitio, desperabant plane. Hi adeo negabant ulla in re esse nobis cognitionem certam: sive habere nos negabant ideas & judicia conformia rebus: cum & res transeant sicut earum imagines, & perpetuo fluant. Nihil adeo ajebant certum, sed umbras quasdam videri, & somnia. Hi objectionibus adversariorum eo deducti sunt, ut non tantum media ejurarent intellectui, sed objectis quoque & rebus ipsis denegarent veritatem & realitatem, ne cogenter admittere repræsentationes ullas rei conformes. Non eodem autem modo Academici, quo Sceptici id negabant, neque ipsi inter se Academici dicebant eadem. Sed longum est & supervacuum his immorari.

66. Cartesius nudius tertius omissis ideis ac mediis intellectui succurrentibus viam diversam ingressus est. Non enim quæsit medium, quo cogitatio similis fieret rei, neque adeo rem voluit esse rationis regulam; sed statuit cogitationem pro regula rerum. Statuit enim hoc tanquam prin-

principium omnis veritatis: *Cogito: ergo sum*: seque nominavit substantiam cogitantem. Non advertit hic varium circulum, in quem gyratur. *Cogito* enim, hanc voculam recte dialectici exponunt sic: *Sum cogitans*. Principium igitur Cartesianum hoc valet: *Sum: ergo sum*. Ex hoc si quaeratur, quo medio utatur ad vere agnoscendum, *se esse cogitantem*? nihil potest aliud respondere, quam; *Quia cogito*. Hoc autem idem est, quod, *Quia sum cogitans*. Totaque res eo recidit: *Sum cogitans quia sum cogitans: sum quia sum*. Qui hunc secuti sunt, magna aliquando temeritate ancipiti hoc Cartesiano decreto abuti sunt, ut res maximi momenti auderent affirmare *tales*, quia ipsi easdem cogitarent *tales*. Sic heterodoxum quemdam non puduit nuper typis publicis exponere stramineum hoc argumentum: *Cogito me esse justum: Ergo sum justus*. Efficaces, fateor, cogitationes, & efficaciores scientia efficaci Canidia Horatiana. Superi faxint, ne is homo aliquando cogitet, se esse Sultanum Turcarum: Erit enim Sultanus. Tum cogitabit se habere quingenta armatorum millia: Habebit. Cogitabit se occupare Hungariam: occupabit. Væ cuti

deinde nostræ. Sed vicissim & nos cogitabimus, illum delirare; insaniet. Pauperculum esse; mendicabit, esuriet.

67. Metaphysici & Ontologi antiquam cramben recoquunt, dicuntque, medium ad veritatem deprehendendam esse *Rationem*, aut *Rationem sufficientem*. Hos autem in circulum regyri, jam supra Num. 60 mo ostendimus. Hic id modo adverto, eos, quid sit ratio, vix usquam exponere. Plerique rationem dicunt quamcunque cogitationem suam, cui opponere ipsis lubet particulam causalem *quia*; aut postponere particulam illativam: *Ergo*. Sed millies milliesque has particulas audimus ac legimus etiam tum, cum nihil est conformitatis cum objecto, nihil veritatis, sed difformia rebus omnia, falsa omnia.

68. Postquam exposuimus, quæ non sint media ad obtinendam veritatem, quia à communi sensu recedunt, faciamus jam periculum, num detegere possimus illa media, quæ vere media sunt. Nam revera esse aliqua media obtinendæ veritatis seu conformitatis cogitationum cum objecto, nemini sano potest esse ambiguum. Sicut qui videt effigiem Cæsaris similem Cæsari, dubitare nequit, quin artifex habu-

habuerit media ad hanc similitudinem obtinendam.

69. Et nos ut hanc rem captu reddamus faciliorem, analogia seu similitudine propinqua utemur, nempe *IMAGINE*. Cogitationes enim nostræ sunt in se aliqua res; sed non sunt res ipsæ quæ cogitantur: sunt tantum istarum imagines. Cum igitur utimur similitudine picturæ in his explicandis, non tam utimur similitudine, quam paritate. Pictura est imago revera, Cogitatio est imago revera. Continentur sub uno genere pictura & cogitatio. Species sunt diversæ unius generis. Quidquid id est, hanc similitudinem credimus apprimè nobis servituram in hoc argumento, ubi de conformitatis & similitudinis obtinendæ mediis quaeritur.

70. Instrumenta pictoris ad effigiem sunt alia remota & separata, ut tela, pigmenta, radii; alia conjuncta ipsimet pictori, ut manus, oculi, imaginatio.

71. Equidem hæc instrumenta sunt: sed omnibus positis hic in medium, jacent, & sine actione manent, effigiem non efficiunt. opus est alio medio, nempe *Actione* & applicatione facultatum pictoris jam ad Cæsarem, jam ad instrumenta.

72. Eundem in modum instrumenta cogitationum possunt esse ac sunt diversa: *separata* instrumenta, ut picturæ, voces, scripturæ, signa quævis externa sensu perceptibilia. *Conjuncta* instrumenta sunt sensus, sive unum statuas, sive quinque agnoscas. Rursus imaginatio & ejusmodi facultates materiales; seu plures admittas, seu existimes unam esse ad plures functiones idoneam. Adde ad extremum rationem, sive intellectum & memoriam.

73. Cum his tamen omnibus fieri potest, ut nulla cogitatio nascatur: ut accidit in dormiente, infante. Accedat necesse est actio & instrumentorum motus & applicatio, jam versus objecta jam versus imaginem internam.

74. Statuamus infantem in tenebricoso loco educatum nihil aliud unquam vidisse, quam per fenestram laquearis penetrans diurnum lumen, & hujus luminis ope sese ac cibum suum. Fenestra huic subito se admoveat aliquid obscurius ipsa luce, figura distortum: ultra medium hujus rei promineant sex partes: antrorsum una oblonga in nodum desinens, acumen habentem, ab utroque latere prominet una pars longa, aliquantum lata, nonnihil retrorsum incur-

va, quæ duæ partes non manent fixæ, sed se motant identidem & librantur. Post illas partes prominet pars alia longa nonnihil & lata, sed fere immobilis, non multum absimilis prædictis duabus partibus. Subtus has omnes partes sunt aliæ duæ partes longiusculæ, graciles, teretes, desinentes in quatuor radios quaquaversum disparatos.

75. Dic jam quid cogitat hic puer in carcere? quid tu lector doctè cogitas? Puer nihil aliud cogitare potest, quam ea ipsa fere, quæ modo diximus, nempe hæc est *res* habens tales partes &c. Tu vero, lector, dices, hæc est *avis*, & singulis etiam partibus dabis nomina sua; hoc est rostrum, hæc alæ, hæc cauda, hi pedes. Idque facies variis fortasse sonis: Dices enim *hec, il becco, der Snabel* &c.

76. Eadem sunt cognitiones vestræ. Puer æque, ac tu concipit rem qualis est. Uterque in se habet veram avis imaginem: nisi alterius oculus vel sensus aliquis interior corruptus rem aliter forte repræsentasset. Quod notes velim, non sine causa dictum, ut post apparebit Num. 80. &c. Et in hoc quidem vestræ utriusque cognitiones sunt eadem, pueri ac tuæ.

77. Sed rursus etiam sunt inter se diversæ. Nam puer quidem de re hac visa, deque ipsa imagine sua interna nihil aliud nec cogitat, nec aliter cogitata enuntiat. Tu vero primo intra te cogitas & affirmas: hæc pars est collum & rostrum, hæc est alæ, hæc venter, hæc pes, deinde etiam addes: hæc parte cibus capitur, hæc corpus libratur in altum, hæc inceditur, hæc egeritur cibus: quin dices mihi etiam illa, quæ sub oculos jam non cadunt, nempe sub his pennis latet cutis, sub cute caro, sub carne ossa, sub ossibus intestina hæc atque illa. Dices insuper, hæc est avis talis, est rapax, est domestica, est mas, est fœmina, ova parit talia, cibum amat talem, & quo es doctior, hoc plura de hac re una cogitabis, & integrum etiam commentarium scribes.

78. Hæc ita habere in comperto est. Sed cum tanta Tu de re una cogites, puero nonnisi unum cogitante, multo plures orientur de te quæstiones, num vera sint singula, quæ tu de re eadem cogitas?

79. Inquiramus ergo, unde à quibus mediis dependeat veritas cognitionis in puero: ab iisdem enim & similibus mediis veritas cognitionum tuarum multarum depen-

depen-

depen-
debet in Te homine docto.

80. Revera in puero potuere contingere deceptiones. Vel enim aër intermedius potuit esse ita dispositus, ut radios ab objecto ad oculum proficiscentes alteraret: vel oculi tunica & humores potuere esse sic dispositæ, ut refractione radiorum distorta contingeret. Vel nervus opticus, meninger ac cerebrum, aliæve corporis necessariæ ad cogitandum partes deficerent. Idem potuit & tibi contingere.

81. Quod jam superest, oro, medium, quo deprehendamus, deceptionem non adesse? imaginem esse similem rei, cognitionem esse conformem objecto? Hoc jam quæritur: hæc est illa magni momenti quæstio, quam tractamus: *medium desideramus deprehendenda conformitatis seu veritatis.*

82. Hic nihil valent principia illa Cartesii, Academicorum, nihil Wolffii ratio sufficiens. Nihil Heineccii ipsa ratio. Nam de horum omnium deceptione ac veritate quæstio est.

83. Redeamus ad pictorem. Pictor non nemo iussus à viro nobili pingere effigiem seu imaginem ipsius, pictam attulit. At nobilis causari, hanc imaginem similem vultui suo haud esse:

non sic oculos non sic ora se ferre. Pictor contra contendere, esse simillimam. Imaginem repudiatur nobilis, reportatur pictor. Utque experimentum capiat, uter ipsorum deceptus sit, imagini appingit personam seu vestem morionis, hocque ornatam apparatu pro officina sua palam exponit omnium conspectui. Prætereunt initio pauci, affirmant hunc esse illum nobilem sive vultum illius nobilis similem: prætereunt multi; idemque affirmant: accurritur, nobilis personatus morio tota urbe videtur. Risum audit nobilis ipse, indignatur, pictorem iudici defert, qui se morionem publice expofuerit ludibrio. Sistitur iudicio pictor, negat eum esse vultum hujus nobilis: nobilem ipsum hoc negare. Similitudo imaginis publico iudicio probata, cum ludibrio ac risu omnium, testibus ac iudicio solemniter confirmatur; absolvitur pictor, damnatur deceptus, non jam pictus sed verus morio.

84. Eadem fere ratione, num pueri illius oculus, imaginatio & intellectus decepti sint, hæc una naturali via comperiemus, si advocabimus ad hoc spectaculum alios, & si fieri potest omnes, quæramusque ex ipsis, num de eodem objecto eadem

C 2

&

& ipsi concipiant? Si omnibus idem videtur idem, deceptio timetur nulla, veritas certa est.

85. Si plerisque omnibus variorum etiam temporum & variarum conditionum hominibus idem videtur, tametsi nonnulli dissentiant: veritas certa est, deceptio nulla. Sicut imago nobilis vera fuit, tametsi ipsemet negaret.

86. Quid autem est hoc? Ego quidem hoc dico esse EXPERIENTIAM, & SENSUM COMMUNEM, & auctoritatem vel auctoritatis certe fundamentum. Est enim Experientia non quævis applicatio mediæ ad finem, non quævis affectio finis per mediæ; sed Experientia est constans & uniformis eductio ejusdem effectus ex iisdem causis; vel constans & uniformis affectio ejusdem finis ex iisdem mediis.

87. Experientia autem potest esse duplicis considerationis, quod non obiter attendendum. Nempe experientia unius hominis: & experientia plurimorum.

Experientia unius unica, vix meretur dici experientia, & est deceptioni obnoxia: ut in puero vidimus.

Experientia multorum longe est minus deceptoriam, longe magis certa.

Experientia omnium per varia tempora, loca & conditiones est certo certior.

88. Conceptus enim incerti vix est alius, quam conceptus variabilitatis, inconstantia. Igitur ex adverso conceptus constantia, est conceptus rectitudinis. At Experientia universalis est argumentum & demonstratio constantia per diversa loca, tempora &c. Igitur Experientia universalis est argumentum rectitudinis, quanta haberi humanitus potest.

89. Reducamus autem hoc ulterius ad prima principia. Constans est, quod semper est idem & non aliud. Quod autem determinate est hoc, & non aliud, illud est certum. Nam ponamus hoc, quod semper est idem, non esse certum: ergo potest hoc esse aliud: quod autem potest esse aliud, non semper est idem. Igitur id, quod est semper idem, non est semper idem. Reduximus ergo ad impossibile hoc argumentum.

90. Leibnitijs & alii, hujus rei argumentum repetunt à Bonitate DEI, non volentis omnes universaliter decipi; & recte: & hoc argumentum sapidius est melioribus animis, qui DEUM certo complexu tenent. Sed imbecillibus illis spiritibus, qui se For-

tes

tes dicunt, quod DEI sint negatores, magis convenit deductio ad impossibile & ad absurdum; quia semper absurdis assuefecerunt animum: quid ergo sit absurdum, forte melius apprehendunt, quam quid sit bonum.

91. Restat ut videamus, in quo consistat Experientia, in quantum ea mihi est demonstratio certitudinis pro actibus & cognitionibus meis in particulari? Equidem hoc jam supra exposuimus de pictore Num. 83. Omnium civium de imagine nobilis illius sententia fuit illa experientia, similitudinem certam faciens tam pictori, quam iudicibus, quam ipsi etiam, qui contradixerat. Hæc autem multorum & omnium sententia non potuit in ipso eorum animo cerni aut cognosci, sed ex ipsorum dictis aut signis alijs intelligebatur. Itaque certitudo pendebat à fide, quæ auctoritati hæc dicentium & significantium tribuebatur. Igitur certitudinis argumentum in cognitione rerum potissimum est Auctoritas. Sic, cur cibum, qui mihi offertur, habeo pro pane? quia & ego expertus sum hunc esse panem, & ab alijs hoc didici, hunc esse panem. Cur ad flumen delapsus non subeo, sed pontem aut navem quæro? quia vidi aut audivi sub-

mersos. Cur ferrum candens non tango, tangit autem illud puer? Cur fugio viperam in via? Cur scio esse viperam? Cur reprimoriam, cur scio esse reprimendam? Quia expertus sum alios iratos, male, indecore, inhoneste agere. Unde scio id esse indecorum? quia & me sæpe iræ pœnituit, & alios pœnituisse ipsi mihi dixerunt &c. Adeo hæc certa sunt, ut qui auctoritatem quasi perpetuo non sequatur, eamque suarum cognitionum & actionum fundamento non supponat, eum, necesse sit, ne triduo quidem superstitem esse, sed vel hodie perire.

92. Hocque eo magis locum habet in rebus, ad quarum certitudinem requiritur experientia longissima, quales sunt morales, politicae, religiosæ, civiles. Moralia principia maxime ex sensu communi vim habent. Sensus communis ex experientia constat: experientiam longam nos docet non ulla longa ac profunda speculatio, sed sola auctoritas. Quis scit, si hic codex Juris civilis, hoc rescriptum principis, hæc lex, hæc consuetudo & observantia non est heri demum nata aut conficta à quolibet scriba? Quis scit si hic princeps non intravit per dolum, tyrannidem? si heri populus meus non fuit à

C 3

domi-

dominatu liber? Quis scit, si decorum temperantiae, iustitiae, virtutis non est à solis meis præceptoribus imaginatione confictum, à ceterorum hominum sensu abhorrens? Forte me ex infornio delira nutrix decepit, cum iussit precari DEUM summum, alii autem aliter sentiunt?

93. Quapropter quod sapius affirmavi, rursus assevero, Præcipue in moralibus rebus argumentum ac principium certitudinis nobis hominibus debet esse AUCTORITAS: Qua seposita ad stuporem redigemur.

94. Post medium primum ad inveniendam veritatem seu conformitatem cogitationis cum objecto, quod medium primum est Experientia cum auctoritate; tradimus jam medium secundum nempe *Rationem intrinsecam*, de qua jam agamus. Nam auctoritas cum experientia dici solent *Rationes extrinsecæ*; quasi auctoritas sita sit extra res & objecta: Ratio autem, de qua mox dicam, insit ipsis rebus & objectis.

95. Ratio igitur intrinseca est *Connexio metaphysica rerum*. Nemo non statim ex hoc initio videt, istud medium agnitionum multo esse difficilius priore. Nam facile quivis intelligit, quid sit experientia, quid auctoritas:

sed quid sit connexio metaphysica rerum, id forte intelligunt perpauci, cum satis multi etiam doctiorum vix intelligant, quid sit Metaphysica, aut quid sit metaphysicum? Qua propter statim ex hoc principio bonum omen capimus pro auctoritate. Media enim cognitionum & veritatis illa debent esse acceptabiliora, quæ pluribus & omnibus serviunt, quam quæ paucis. Ad veritatem enim non pauci, sed omnes nati sumus. Auctoritate & experientia uti omnes facile possunt: metaphysicam nosse paucis contigit. Vera me dicere statim apparebit. Tametsi non negassim, fieri posse, ut mea potius hac exponendi ratio obscura sit, quam res ipsa. Tentemus aleam, & Metaphysicam nonnihil exponamus.

96. Rerum omnium non eadem est essentia & natura. Equus non est arbor.

Differunt res inter se in aliquo vel in multis. Ut homo à cane in paucis; à lapide differt in multis.

97. Differentiæ ipsæ aliæ sunt majores & necessariae, quas dicunt *essentiales*, aliæ minores & accidentariae. Ut Differentia hominis ab homine est accidentaria, non enim ad humanitatem necessarium est, ut hic sit *Æthiops*, ille Gallus, etiam absque hoc ef-

set

set uterque homo. At differentia hominis ab equo est necessaria; quia nisi differret homo necessario ab equo, posset contingere, ut aliquando homo esset equus, aut equus fieret homo.

98. Differentiæ autem non sunt imputationes quædam, & fictiones rebus extrinsecæ, sed sunt in ipsis rebus. Canis à saxo non differt, sic, ut ego stellas in certas imagines & asterismos divido cogitatione, jam tales, jam alios ad lubitum meum, & utat combinem aut segregem eas, manent tamen ipsæ stellæ, & stellarum conceptus ac notio. Sed differt canis ab homine sic, ut si id, quod in his diversum est, combinem cogitando, non amplius habeam conceptum hominis vel canis: ut si concipiam hominem non rationalem. Igitur differentiæ hæc in potestate intellectus nostri non sunt, sed sunt in rebus necessariae, & ut ajunt, æternæ.

99. Ejusmodi differentiæ essentialis dici solent *gradus* metaphysici, quorum posterior & inferior semper includit anteriorem seu superiorem; quia posterior est compositus ex prioribus. Ex. gr. ENS est gradus summus, incompositus, qui dici potest de omnibus inferioribus, quia in illis includitur, ut videbimus.

100. SUBSTANTIA est gradus alter inferior.

101. VIVENS & NON VIVENS sequuntur. Omne quod vivit est substantia & Ens. Sed non omne quod est substantia, est etiam vivens; ut lapis. *Vivens* ergo tanquam compositum includit in se rationem entis & substantiæ.

102. ANIMAL est alius inferior gradus. Omne animal est vivens, est substantia, est ens. Sed non vicissim.

103. Non est hic animus totam Metaphysicam ordine exponere, sed summa capita eo tantum consilio attingi, ut *Metaphysicæ Connexionis* natura & quædam difficultas agnosceretur.

104. Et hæc quidem hætenus faciliora sunt, & certæ ex his demonstrationes fieri possunt. Ex. gr. omne animal est vivens: at omne vivens est substantia: ergo omne animal est substantia.

Igitur certum manet, *Connexionem metaphysicam* rerum, esse medium ad veritatem attingendam. Atque certitudo inde nobis resultans dicitur solet *metaphysica certitudo*, quæ tanta est, ut impossibile sit aliter rem habere; quia esset repugnantia in essentia, esset & non esset.

105. Verum enimvero cum à generalibus his descendimus ad magis particularia, tum ipsa connexio longe fit abstrusior nobis, & agnitu difficilior. Neque adeo tunc *connexio metaphysica* primum est medium ad veritatem cognitionis nobis detegendam, cum hæc connexio sæpe sit obscurior eo, quod esset illustrandum.

106. Præcipue id verum in rebus ad mores pertinentibus, quæ omnes sunt singulares in se. Unde in moralibus paucissimæ demonstrationes rigorosæ haberi possunt, ex *connexione metaphysica*; cum moralia pendeant à circumstantiis plurimis, quæ insuper semper mutantur: neque adeo necessaria connexio cum re deprehendi potest.

107. His ita utcumque expositis, *Dico jam primo*, in nostro de Præjudiciis argumento medium hoc alterum, nempe *connexio metaphysica* non quidem negligi debet, sed tamen non maximum usum habet. Præjudicia enim maxime in moralibus reprehenduntur, & in his tamen solent esse frequentissima. At in moralibus *connexio metaphysica* est valde anceps, ut ostendimus. Igitur in Præjudiciis medium hoc connexionis metaphysicæ non habet maximum usum.

108. *Dico deinde secundo.*

Etiam Connexio metaphysica sine supradicta experientia & auctoritate parum aut nihil virium in nostro intellectu habet. Experientia enim & auctoritate scimus, omnes homines esse re ipsa rationales: & nisi experientiâ id nobis constaret, forte de eodem dubitarem. Rursus auctoritati fere debemus, quod istam connexionem primo discamus ex ore magistrorum. Unde pluri mi rudes de connexionione metaphysica parum aut nihil sciunt? quia parum aut nihil didicerunt. Ergo demum ut hoc medium connexionis metaphysicæ valeat & utile sit, non parum debetur medio primo, nempe auctoritati & experientiæ.

109. Jam ad *tertium medium veritatis* in cognitione nostra deprehendendæ accedamus. Illud præbent *Connexiones ac Relationes Physicæ*, seu non quidem essentialium, sed *operationum* naturalium.

110. Pleræque relationes & connexiones Physicæ reducuntur ad relationem CAUSÆ & EFFECTUS: *agens & patiens*: Formam & subjectum seu materiam, aliosque motus & actus.

111. Esse hanc connexionem medium attingendæ veritatis, claret. Effectus enim ne concipi quidem ullus sine causâ potest.

Ita-

Itaque ex effectu necessario sequitur, quòd sit quædam causa: sed ipsum genus causæ non semper ita proclive agnoscitur; cum, ut fertur axiomate, *ejusdem entis plures possint esse causæ*. Sic, Filius est: ergo est Pater; vere colligitur: male autem hoc: Filius est: ergo est *hic* pater.

112. Aliæ rursus relationes physicæ loci, temporis, situs, numeri &c.: adhuc sunt incertiores, quia magis mutabiles.

113. Equidem omnes relationes physicæ & connexiones, media sunt ad certitudinem nobis faciendam, quæ dicitur *Physica certitudo*, ac tanta est, ut sit impossibile *hic & nunc* rem aliter esse. Nam id, quod semel reapse causat, impossibile est ut non causaverit; quamvis, abstrahendo ab actu, potuerit non causare, & manere in potentia. Hinc recte cecinit ille: *Felix qui potuit rerum cognoscere causas*.

114. Verum enimvero hoc quoque medium ad certitudinem & veritatem, utut pulcrum à longe faciem ostendet, comminutus vero ferobibus & sulcis est valde interceptum; Cum enim causæ rerum paucæ sint cognitæ, plurimæ lateant, cum unius entis plures possint esse causæ; cum causæ sint variæ, principalis, instrumentalis, finalis, æquivoca,

remota, proxima, dispositiva &c. hoc ipsum frequentissime in ancipiti quæstione versatur, quæ sit vera causa, & quousque? atque ad hoc deprehendendum multis aliis plerumque cognitionibus est opus, quæ iterum ancipites sunt, & multis mediis opus habent ad deprehendendum verum. Hinc recte cecinit ille: *FELIX, qui POTUIT rerum cognoscere causas*. Non inter ordinaria veritatis instrumenta & obvia, numeravit causarum cognitionem, sed *Fortunam* eam peculiarem est arbitratus. Quemadmodum defossium eruere thesaurum non est ordinarium ditescendi medium, sed fortunæ propitiæ munus.

115. Cum maxime illud verum est in rebus moralibus, quæ quidem omnes supponunt causam physicam, sed præter hanc reguntur etiam à causâ morali, hoc est voluntaria intentione finis. Pro una autem causa physica semper licet numerare causas decem morales, quæ raris & ambiguis indicibus se produnt, cum plerumque mere internæ sint. Quis enim novit cogitationes hominum Proteo versatiliores. Quod si igitur difficile est tenere causas físicas, decuplo est difficilius attingere causas morales. Et ii, qui in moralibus non unam, sed multa millia demonstrationum

D

mathe-

mathematicarum promittunt tam liberaliter, mihi videntur ignorare verum, & difformia rebus sentire. Res morales plurimæ sunt obscuræ, mutabiles; & ipsi eas tractant ut mathematicas, immutabiles: & de singulis promittunt mathematicas demonstrationes: hæc difformia sunt: in his esse veritas nequit: & reipsa fæpissime decepti deceptere etiam alios.

116. *Certitudo moralis* longe est nobis maxima, & major, quantum ad nos attinet, quam certitudo physica ac metaphysica: id quod Illustrissimus Huetius pulchre demonstravit in prudenti opere de *Demonstratione Evangelica*. Sed hoc ipso certitudo moralis non potest consistere in connexionibus illis physicis, ac metaphysicis plerumque incognitis: sed consistit in experientia ac sensu communi Auctoritate tradita; quæ omnia cognitu sunt perquam facilia, ac per hoc idonea media ad pariendam in nobis certitudinem.

117. Faciamus hujus Sectionis Anacephalæosin. Vidimus hic, *Rationem* varie accipi posse: 1. *pro facultatibus* cognoscendi, judicandi, intendendi finem &c. 2. *pro medio ad verum* deprehendendum, seu conformitatem nostræ cogitationis cum objecto.

Quale medium non est ipsa ratio; non ideæ innatæ; non Cartesianæ substantia cogitans; non quilibet per particulas *Quia* vel *Ergo* enuntiatum. Sed strenuissimum remedium est experientia, sensus communis & *Auctoritas*; minus proficuum instrumentum est *Connexio metaphysica* rerum: minus etiam *Connexio Physica*: quæ connexiones per experientiam & auctoritatem demum nobis innotescunt & pondus acquirunt.

118. Quoniam autem *Præjudicium* haud dubie est aliquis defectus circa rationem, & impedit, ne certas cognitiones nanciscamur, recte nos conati sumus hoc rationis negotium evolvere. Hoc enim evoluto facilius erit fortasse deprehendere, qua parte defectus lateat & morbus.

Sectio II. Quid non sit Præjudicium?

119. **P**RÆJUDICIUM ex ipsa vocabuli potestate est **JUDICIUM ANTE ALIQUID** formatum: sive judicium captum ac sententia lata *præ* hoc vel illo, nondum scio quo?

120. Judicium formatum ante *qualemcumque* rem non videtur esse præjudicium illud, quod reprehendunt. Sed ut præjudicium

fit reprehensione dignum, debet ferri *ante* aliquam rem, quæ *DEBERET* *precedere* judicium: ita ut malitia vel defectus, qui in præjudicio est, consistat in illius *debiti* neglectu vel violatione: sive in præpostero ordine: quando nempe præponitur judicium alicui rei, cum *neceffe* esset aliquam rem præponere judicio.

121. Ergo, ut dicere cœpi, præjudicium non est judicium ante qualemcumque rem: quia non *quacunque* res debet præponi judicio. Ex. gr. Si judico, Romano Pontifici à Christiano esse obediendum, *ante*, quam Pontificem de facie agnoscat, vel antequam Jerosolymam profectus sit, non facio reprehensibile præjudicium; quia *communis sensus* tota retro *auctoritate* traditus non agnoscit, *debere* istas agnitiones præmitti judicio de obedientia Pontifici præstanda. Neque apparet connexio metaphysica aut physica inter obedientiam Pontificis, & ejus vultum aut urbem Solymorum: moralis autem connexio inter Pontificis vultum, Solymam, & nostram Christianorum obedientiam tam est implexa, ut non debeat pro regula judicii facile statui.

122. Illi, qui volunt ante judicium præmitti aliquid *certum*, aut præsupponi aliquid *determi-*

nate, per hoc aliquid non possunt intelligere *Rationem*, quando per *Rationem* intelliguntur *Facultates* concipiendi, judicandi, discurrendi &c. Pueriles enim essent eorum admonitiones, quemadmodum puerilis esset, qui diceret cadaveri: cave, ne hinc discedas antequam vivas, sive antequam *facultatem* discedendi habeas. Et si hoc præjudicium est reprehensibile, judicare sine facultate judicandi, impossibile est hominem quemcumque laborare præjudicio, quia impossibile est quemquam judicare, qui *non potest* judicare, hoc est, qui facultatem judicandi non habeat.

123. Æque ridicula esset sollicitudo, ne judicemus absque *ideis* præsuppositis. Sicut, si sollicitè moneremus pictorem, ne imaginem pingat absque pigmentis.

124. Non minus explodi meretur ille, qui juberet nos cautos esse, ne judicium ferremus de veritate, quin utamur ad hoc *mediis quibusdam* ad detegendam veritatem necessariis. Sicuti vel infans rideret virum, qui se moneret, ne filum trans foramen acûs ducat sine filo, acu & foramine.